

DE CONFESSORIBUS VERITATIS. 7

re & quibus salvâ ipsius auctoritate fidem debeamus abrogare; atque ideò necessariò nos ad sacro sanctam Scripturarum Divinitus inspiratarum auctoritatem esse reversuros. In iis, quæ præcesserant, hanc suæ assertionis rationem reddiderat: frustra talem quæri Ecclesiæ omnium temporum consonantiam, ut nevi nulli, nulla doctrina inclinatio appareat; adeoque nec Papæos vel unum ex omni antiquitate doctorem sistere posse, qui in omnibus singulisque cum ipsis concordet. Id itaque quis à Lutheranis requirat? De Chrylostomo suo asseverat Mayerus, ostensurum sese: *QUANTUM* dissentiat à Concilio Tridentini decretis? Quod & per plura capita præstat atque subjicit sub finem: plura consensionis capita reperi, sed hæc ad confundendū adversarium suum sufficere posse. Dorscheus verò in Dedicatione admonuisse se ait collocutorem quondam suum, virum Romano Catholicum, annon ipsi aliquando in lectione Thomæ Aquinatis conscientia dictasset, Thomam propendere in eam sententiam, quam ille persequebatur? Thomam habere hypotheses, quibus Lutheranorum dogmata defendi possent? Thomam debilius tractare causam eam, quæ hodie pro infallibili veritate venditatur & sic tacitè confiteri, tutius in adversâ parte stari posse? Thomam eos, qui nobiscum senserunt & ab ipso diversi fuerunt, nequaquam inter hæreticos computare? Hæc igitur, non verò omnimodum consensum, dum in Thomâ suo confessore comprobare voluit, comprobavitque Dorscheus, iterum notanter concludit: & sic absolvimus Confessorem, inter densos errores VERITATIS stricturas subinde admittentem & emittentem. Ecce, Thomam profitetur Dorscheus densis sui seculi erroribus implicitum, *stricturas veritatis*, (sunt autem stricturæ

scin